

Ant. v. Giesbreg. München

Nf. 59.1.



DISSERTATIO
PHILOLOGICO - EXEGETICO - PORISMA-
TICO - THEOLOGICA

DE

GENUINIS
BEATORUM
CHARACTERIBUS

AD DUCTUM

Pf. CXIX, 1, 2, 3.

QUAM,

ASSISTENTE SANCTO & BEATO DEO,

PRÆSES

JOH. HENRICUS HOTTINGERUS,
S. S. Theologiæ Professor & Pastor Ord.

ET

ANDREAS GRUBERUS, S. L. C.

Manhemio - Palatinus,

Rationali & Placido Commilitonum Examine

Heidelbergæ in Aud. Theologico H. S.

die

A. MDCCXXXV.

subjiciunt.


dw.

DEO,
ECCLESIAE,
PATRONIS,
COMMILITONIBUS

Sacra.

DISSERTATIO
PHILOGICO-EXEGETICO-POLISMA-
TICO-THOLOGICA
DE
GENUINIS
BEATISSIMIS
CHARACTERIBUS
AD DUCENDUM
P. CXIX
ASSISTENTE SANGVO BENO BEO
PR. 1748
JOH. HENRICUS HOTTINGERUS
2. Theologie Professor & Pastor Ord.
ANNO 1748
Manscheno-Palatinus
Königliche Theol. Commissionarius
Halle in An. Theologico H. S.
A. MDCCXXXV





J. N. J. C.

DISSERTATIO THEOLOGICA

De

Genuinis Beatorum Characteribus,
Eorumque Beatitudine
ad Ductum,

Pfalmsi CXIX. v. 1. 2. 3.

Σύνοψις :

Præloquio præmissis verba Textûs
Hebraicè & Latinè exprimentur :

I. Pars Dissertationis Philologica est,
quâ explicantur septem tantum voces
Emphaticæ & difficiliore, ut:

אשרי §. I.

תמים §. II.

הלך §. III.

דרש §. IV.

אף §. V.

עורה §. VI.

פעל §. VII.

II. Pars Exegetica, quæ continet
Argumentum Textûs §. VIII,
Partes duas §. IX.

Primæ sex membra sive totidem
Beatorum Characteres §. X.

Ex his Primus: *Via integritas*
ubi explicatur
Via §. XI.

Integritas ejus §. XII.

Integer viâ §. XIII.

Additur cautela §. XIV.

A 2

Alter.

Alter *Incessus* in Lege Jehova §. XV.
 Lex latè hic accipitur §. XVI.
 XVII.
 Legislator est Jehova §. XVIII.
 Non Homo, Ecclesia §. XIX.
 Legis hujus scopus est, ut in ea
incedamus §. XX.
 Emphasis insuper indicatur §. XXI.
 Tertius *Custodia Testimoniorum* Jeho-
 va §. XXII.
 ubi exponitur
 Quid intelligatur: *Testimonio* §.
 XXIII.
 Quare pluraliter efferantur *Testimo-*
nia §. XXIV.
 Et quidem Jehova §. XXV.
 Officium *custodire* §. XXVI.
 Quartus. *Quæstio Jehova toto corde.*
 In genere, quid sit, *querere Jeho-*
vam, §. XXVII.
 In specie **N** *Querere* Jehovam
 ceu summum bonum §. XXVIII.
U Et Interpretem Legis suæ. §.
 XXIX.
Toto corde, §. XXX.
 Quintus. *Nulla molitio Iniquitatis.*
 Particula **AN** conjungit cum an-
 tecedentibus characteribus, §.
 XXXI.
 Quid sit *moliri iniquitatem*?
 Peccatum studio patrare, §. XXXII.
 Non verò ex infirmitate §. XXXIII.
 Sextus *Incessus in viis Dei anterior*
 seu vita bona ante acta, qui con-
 venit cum characterè secundo §.
 XXXIV.
 Distinguitur tamen *α.* tempore *β.*
 phrasi: *in viis Dei* §. XXXV.

Non incommodè comprehenditur
Imitatio Dei §. XXXVI
 Omnium horum characterum in-
 dissolubilis est nexus §. XXXVII.
 Pars altera complectitur Beatitudi-
 nem §. XXXVIII. XXXIX.
 Quæ duplex §. XL.
 scil. tum Liberatio à peccato
 quoad condemnationem, domi-
 nium, pollutionem & tristes ejus
 effectus §. XLI.
 Tum possessio & fructio boni va-
 rii §. XLII.

III. Pars Porismatica.

PORISMATA GENERALIA.

- (1) Frequenter & seridocogitandum
 de beatitudine §. XLIII.
- (2) De Characteribus ejus realibus
 & à studio partium alienis. §.
 XLIV.
- (3) Evitandos esse characteres fal-
 laces §. XLV.
- (4) Vitam æternam, licet donum
 Dei sit, non tamen conferri in a-
 lios quam pios. §. XLVI.
- (5) Veram beatitudinem jam his in-
 terris inchoari; post mortem vero
 consummari §. XLVII.

PORISMATA SPECIALIA.

- N**. Si vitæ integri beati sunt; Ergo
 fraudulentæ & profanæ Peccatores
 infelices §. XLVIII.
- U** Lex, quæ à *monstrando* dicitur,
 monstrat tum finem, tum media.
 §. XLIX.
- U** Beati sunt procedentes in Lege
 Jehovæ; Ergo non consistendum
 in primis viis §. L.

7 Scriptura est testimonium Dei, per consequens ἀξιόπιστος §. LI.

7 Vox כִּנְיָ *custodire*, docet Scripturam esse pretiosum κειμήλιον probe custodiendum §. LII.

7 Phrasis, *quærere Deum toto corde*, infert Deum non inveniri ab iis, qui eum labiis aut solo intellectu quærunt §. LIII.

7, אֶן Vel vinculum aureum est, incedere in Lege Domini & iniquitatem non moliri §. LIV.

7 Consistere ergò nequeunt incedere in Lege Domini & moliri iniquitatem §. LV.

7 Si beantur incedentes in Lege Domini, damnantur molientes iniquitatem §. LVI.

7 Unica injustitia damnat, non unica justitia beat §. LVII.

7 Moliri peccatum & peccatum habere differunt §. LVIII.

7 Beati omne tempus Deo consueverant §. LIX.

PRÆLOQUIUM.



Uum omnium Christianorum, maximè tamen eorum, qui res Religionis Christianæ publicè docent & defendunt, aut saltem seriò secum constituerunt futuro tempore docere & defendere, præcipuum opus sit *διδασκαλίαν κατ' ἐπιστήμην* Doctrinam secundum pietatem ex puris fontibus, solo verbo Dei, petere, ex adverso sibi cavere à *Philosophia*, & vana seductione secundum traditionem Hominum, quorumcunque, splendidis licet venerandæ, sapientis ac præpotentis Auctoritatis Titulis superbientium, secundum elementa Mundi & non secundum Christum, ut Paulus jam suo ævo hortatus erat Col. II. 8. rectè agimus publicè scrutantes Psalmum CXIX. non solum *θεόπνευστον* sed & studium Sacrarum Literarum modo profus singulari, argumentis & plurimis & variis & fortissimis, commendantem ac inculcantem, ut merito illum dixeris *Encomium Verbi Divini*, de quo verbò *Σὺ* & plura, si Deus otium dabit prolixiora prolegomena in Psalmum memoratum conscribendi.

Hac occasione, quæ contra Statuta Majorum, mores & Decus Literarium rarissima esse solet, non nisi specimen Prælectionum Publicarum in Psalmi hujus tria priora Commata publico Examine subijcio. Vides, Benevole Lector, Operam tripartitam, Philologicam scil. Exegeticam & Porismaticam. Illà explicio voces Originales, non quidem omnes, sed quarum difficultas *Vindice* vel *Emphasis Indice* opus habet. *Istà* sensum Verborum juxta Regulas.

gulas Hermeneuticas plenius eruo. *Hæc* verò formo varii generis observationes usibus Dogmaticis, Elencticis, Practicis & Prudentiæ interservientes, desumptas vel ex integra propositione aut parte vel nexu vel unica vocula, vel locis parallelis aut circumstantia quadam, uti fontes observationum divites sunt.

Recte quidem verborum notiones inquirendo, rerum Theologicarum Veritates scrutando, probando intellectum excolimus, acuisque judicium, sed non minor ratio voluntatis bene flectendæ ac Affectuum ritè movendorum habenda est. Præjudicia, Errores utique refellendi sunt, sed & eradicanda vitia, ni Scholæ nostræ steriles & tantum speculativæ Regno Jesu Christi promovendo inutiles existant.

Solent alii Philologica Exegeticis inferere. Non improbo. Methodi variant. Ego verò plurimum distinguo. Hujus instituti sequentes habeo rationes. Nam ita Exegetis est minus interrupta, intellectu facilior, clarior ac efficacior ad mentem notitiâ veri & amore boni imbuendum excitandumque. Dein, quæ circa voces dubia, obscura, controversa Philologos inter sunt, hac methodo jam sublata, antequam mentem Spiritus S. investigas. Accedit, quod, qui ex Auditoribus Philologica amant, reperiant distinctum Exercitium, quod rerum nostrarum, ut hic sunt, ratio tantum non poscit. Præsentis habeo plures, ex quibus nonnisi nomino celeberrimos Interpretes, Rivetum & Lampium.

Verba Textus Ps. CXIX. 1-4. hæc sunt:

אשרי תמי'דרך ההלכים בתורת
יהוה : אשרי נצרי עדתי בכל-לב
ידרשוהו : אף לא-פעלו עולה
בדרכיו הלכו :

Eorundem Versio Latina:

O! Beati, qui integri viâ; incedentes illi in Loge Jehove. O! Beati, custodientes Testimonia ejus, qui ex toto corde eum querunt; Etiam qui non moliri sunt iniquitatem, quique in viis ejus incesserunt.

I. PARS PHILOLOGICA, quâ notio & emphasis quarundam vocum originalium, ad Textum hunc pertinentium inquiritur,

S. I.

§. I. PRIMA est **רַשְׁוֹן**. Vox Psalti nostro gratissima, ceterum quam præ aliis Scriptoribus in ore & animo habuerat, utpote vicies & ultra in Psalmis occurrens. Non sine ratione hinc colligis, Psalmis beatitudinem magno habuisse loco, quæ enim corde æstimamus, ore frequenter volumus. Schindlerus pro *Adverbio*: *Corcejus* pro *interiectione* habent & vertunt: *benè, beatè, feliciter*. Vide Lexica. Aiusvorthus in Psalmum I, pro læta exclamazione *O Beati*. At alii pro nomine substantivo in statu constructum, pl. cujus absolutus **רַשְׁוֹנִים** & in singulari **רַשְׁוֹן** vel **רַשְׁוֹנָה** Quæstio tanti momenti non est, at tamen pro prioribus faciunt, quod licet ultra quadragies reperiat, nunquam tamen in statu absoluto aut singulari, nisi huc referre velis Gen. XXX. 13. Dein quod Jod plurale assumat, sicut **רַשְׁוֹנִים** *post.* Insuper quod ei opponatur Adverbium **וְרַשְׁוֹן** *vs.* Eccl. X. 16. 17. *Pe-* tius juvat nosse notionem, quæ est *Felicitas, Beatitudo*. Constat tum ex opposito, quod *vs.* l. cit. tum ex Auctoritate Pauli, qui transfert per *μακάριος* v. Rom. IV. 6. 7. 8. confer. Ps. XXXII. 12. tum ex connexionem, quæ talena significatum postulat, v. Ps. II. 12. XXXII. 1. 2. tum ex consensu Interpretum, ex quibus allego LXX. *μακάριος* Paulo præesentes. Accedit Verbum **רַשְׁוֹן** significatum *Beatitudinis* tenens, tum in *Pibel* Gen. XXX. 13. Mal. III. 15. tum in *Pybal* Prov. III. 18.

II. Altera est **תְּמִים** illustranda ex usu ejus physico. Adhibetur enim de victimis omnis labis expertibus, omnibus partibus majoribus non solum sed & minoribus, earumque facultatibus, ordine, situ, aliisque qualitatibus sufficienter instructis, carentibus quoque omni indecoro & noxio excessu, Exod. XII. 5. Lev. XXII. 19-25. Translata ergo ad spiritualia, moralia notat, quod *ἀμωμον* sine labe, fraude, vitioso defectu & redundantia; quod *ἀλόγητον* Legi perfectæ Ps. XIX. 8. conveniens in mente, facultatibus, actionibus internis & externis, ex bono principio, sincera intentione, conatu; si verò aliquando actus contrarius ex alieno principio profluit, mox ille rejicitur, damnatur. Hoc sensu Noachus, Abrahamus dicitur **תְּמִים** *Integer* Gen. VI. 9. XVII. 1. Hinc facile scimus, quid h. l. sint **תְּמִים דְּרַךְ** *R.* David benè confert Ps. CI. 2. **דְּרַךְ תְּמִים** *via integra* & XV. 2. **הַדֶּךְ תְּמִים** *incedens integer*. Phrasis egregiè illustratur ex Es. XL. 3. 4. Luc. III. 4. 5. *Via morali recta, plana, sine offenculis, vallibus, collibus, curvitatibus, salubris, sentibus.*

III. Tertia est **הַלֵּךְ** notionis certæ, utpote propriè prædicatur de iter facientibus Gen. XXXII. 1. Notatu tamen non indigna ob usum ejus moralem, Quando enim vita hominum itineri non absimilis, hinc vita moralis.

his sapissime sub **הלך** ambulare sinitur. 1. Reg. IX. 4. Consimiliter ac Græcorum *περιπατεῖν* Rom. VIII. 1. *περιβόρει*, Jud. v. 16. Et quum iter facientes differant; quidam per viam rectam ad metam tendant, perveniant; alii vero aberrant, hinc moraliter **הלכים** *incedentes* jam sinitur *bona vite* Jcf. XXXIII. 15. conf. etiam in N. T. Luc. I. 6. *jam mala* Ps. I. 1. conf. II. Pet. II. 10. III. 3. Notanda adhuc est singularis vocis vis, quæ præsentem locum illustrat, quæ actionis continuatio simul & incrementum ac gradatio indicatur v. Exod. XIX. 19. *Et fuit vox buccina הלך procedens*. Bene Vulgatus: *paulasim crescebat in majus*. Conf. Prov. IV. 18. Rom. I. 11. Quando igitur Psaltes memorat **הלכים** *incedentes in Lege Jehova*, rectè intelliguntur magis & magis proficientes, crescentes in Lege Domini cognoscenda, amanda, æstimanda, præstanda.

IV. *Quarta*, quæ versu secundo extat, est **שרר**. *Toto corde quærent enim*. Varius vocis in Sacris usus. Duplicem, qui verba nostra illustrat, memoro. A. Notat Oraculum ea adire intentione, ut ex eo, quod incognitum est & nôsse juvat, cognoscatur. Quo sine tum Idololatæ Deos adiverunt, consulueruntque, ut *Beelzebub* II. Reg. I. 2. *Pythonem* I. Sam. XXVIII. 7. conf. Jcf. VIII. 18. tum pii verum Deum arcanorum revelatorem. Gen. XXV. 22. *Rebecca ivit שרר ad quærendum*, consulendum *Jehovam* Conf. 1. Reg. XXII. 8. Quo sensu, qui veniunt, *quærent Jehovam*, sinitur circa res Religionis non suæ aut hominum inniti rationi, Sapientiæ, Autoritati, sed in rebus sciendis, credendis, sperandis, agendis Deum consulere, Deum adeoq; solum honorare & colere, qui incognita revelare possit, velit, sive magis immediatè, sive mediatè Prophetas adeundo 1. Reg. XXII. 8. vel verbum Dei attentè, devotè, fidè legendo El. XXXIV. 16. Convenit Græcorum *ἐρευνᾶν scrutari Scripturas*. Joh. V. 39. Quomodo hic accipit Chaldaus: *quærent אולפני דוכי inam ejus*. B. *Quære* bonum, quod quis non habet vel saltem non habet eâ, quæ quærit, ratione, ut consequatur, retineat fruaturque eo, I. Chron. XXVIII. 9. II. Chron. XV. 2. Atque ita *quære Deum* est agnoscere propriam paupertatem, miseriam, necessariam verò & salutarem dependentiam à Deo, Deum habere pro summo bono & fonte omnis benedictionis atque ideo usu mediorum, studio, curâ agere, ut Deus inveniat, habeatur, dignè colatur sitque Deus suus, Ps. IX. 11. XXXIV. 11. El. LV. 6.

V. *Quinta* est particula **אם**, quam plures causaliter vertunt *Nam, enim*. Noldius imò. In Midrasch Tillin Ira: *Non est ira in illos, quia non operantur iniquitatem*. Syrus, ut videtur, ob difficultatem prorsus vertere

tere omittit. Omnes recedunt à recta notione & sensu. Communis notio אין est etiam, quæ hoc loco commoda. Psaltes memoravit varios Beatorum Characteres. Ex his quoque est *iniquitatem non moliri*. Quare ait: *Etiã*. Recte Tigurini: *Much*. Nulla verò hic ratio causalitatis est. Nec אין hanc notionem habet. Notio verò *imò* rarior & h. l. minus commoda. Inepta prorsus Rabbini expositio. Nec Syrus rectè Pleonasmum habet.

VI. Sexta est עוולה *peccatum* non quodvis & ex ignorantia, præcipientia, infirmitate proveniens, sed sex proposito, studio, malitia, quod à Syro & Arabe *Seclus* vertitur. Constat lex usu. II: Sam. II. 34. כני עולה *filii iniquitatis*, qui sanguinem innocuum fundunt Ps. XLIII. 1. *vir frandis עולה* & *iniquitatis*, det professionem von Gottlosigkeit macht Ps. XXXVII. עוולה עושה *factores iniquitatis*, qui scelerata patrant.

VII. Septima & ultima est פעל *cum proposito, intentione aliquid suscipere, moliri, agere*. Constat ex sequentibus locis Mich. II. 1. *Va cogitantibus vanitatem רע ופעלי* & *molientibus malum super lectis* Ps. LVIII. 3. *Etiã in corde iniquitatem molimini*. Confirmatur ex iudiciis, pœnis, aliisque circumstantiis, quæ actionem enormem aggravant hac voce expressam ut Ps. V: 6. *Odis habuisti omnes און פעלי* *Operatores iniquitatis* XXXVI. 13. *Ibi cadunt און פעלי* *Operatores iniquitatis; impelluntur, ut non possint surgere* Job XXXIV. 22. *Non sunt tenebra, neque umbra mortis, ut occulerent se sibi און פעלי* *Operatores iniquitatis*, eeu graves peccatores in iudicium trahendi. Unde *equipollent און פעלי* *viris iniquitatis* v. 8. Hof. VI. 8. *Gilead urbs און פעלי* *operantibus iniquitatem, perversa pra sanguine*. Hinc *פעל* aliquando distinguitur à *עשה*, veluti Ec. XLI. 4. *Quis (hoc) molitur est & effecit*. Mich. II. 1. *Va cogitantibus iniquitatem רע ופעלי* & *molientibus malum super lectis suis, (ut) ad lucem aurora עשה* *faciant illud, in effectum deducant*. Hæc Philologica sufficiant. Sequitur

III. Pars Exegetica.

VIII. Tria priora Commata, quæ explicanda sumimus, constituent *Ba* *sim* non solum Octastichi primi sed totius prolixi Psalmi, continentem ingen- *terem* *Beatitudinem eorum, qui veros, reales & naturales Beatorum Characteres possident exprimentque*. Distinctè itaque notamus.

IX. I. Beatorum Characteres.

II. Ipsam Beatitudinem verè illis contentam

X. Characteres Beatorum sunt numero sex, scil.

B

II. Qui

1. Qui viâ integri. v. 1. a.
2. Qui incedunt in Lege Jehovæ. v. 1. b.
3. Qui custodiunt Testimonia Jehovæ. v. 2. a.
4. Qui Jehovam toto corde quærent. v. 2. b.
5. Qui quoque iniquitatem non maliti sunt. v. 3. a.
6. Qui jam inceserunt in viis Jehovæ. v. 3. b.

XI. Character Beatorum primus *Via integritas* est. Beati enim describuntur. יְהוָה יְהוָה *Integri viâ*. Vocabulum יְהוָה, quod propriè viam, quæ pedibus calcatur, quæ ad certam metam ducit, notat Gen. III. 24. Exod. III. 18. impropiè significat vitam hominis moralem, viâ similem ceu constantem plurimis actionibus, veluti passibus, ad finem perducentibus. Quando verò vita hominum moralis oppositè se habet, Scriptura meminit duplicis viæ; *Via* scil. *peccatorum* Pf. I. 1. *improbiorum* Prov. IV. 19. *Sulcorum* Prov. XII. 15. cum qua phrasi in N. T. convenit: *Via Caini* Jud. v. 11. *Via Bileami* II. Petr. II. 15. & dein viæ *Dominici* Luc. III. 4. *justorum* Pf. I. 6. *justitiæ* II. Petr. II. 21. quam Dominus monstrat, præcipit, ipse ambulat Es. XL. 3. II. Cor. VI. 16. quamque justii calcant sequunturque.

XII. Posterior Beatorum via est. Parùm refert, an sumas *viam integram* ut habes Pf. Cl. 2. an *integros viâ*. Illo sensu intelligenda esset vivendi ratio inculcata, sincera, legi divinæ conveniens. At hoc intelligendi fideles, qui vitam carnalem, mundanam, impuram, quam *phœsei* vivunt, gratiâ Dei corrigunt, mundant, scandalâ cunctâ amovent, *valles* avaritiæ ac amoris rerum mundanarum exaltant, *caelestia* quærendo, *montes* verò & *colles* fastûs, propriæ justitiæ, ambitionis *deprimunt* miseriam verè cognoscendo, humiliter coram Deo vivendo, proximum honorando, *curva* sive intentiones fraudulentas, actiones hypocriticas rectificans eas detestando, deponendo, candidè agendo & denique *salebrosa plana efficiunt* odium, iram, invidiam aliosque amarus effectus tollendo; vice versâ amando, mansuetè, patienter vivendo. Præferrem tamen posteriorem explicationem, ceu quæ potius convenit cum Textu Hebræo, facilius distinguit à sequentibus Characteribus, docetque magis Beatorum internum, essentialè statum; puta quod sint יְהוָה יְהוָה *integri*, vel ut LXX. vocem subinde transferunt; *ἐλόκληροι* in statum integritatis per regenerationem transpositi, habentes τὸ ἐλόκληρον, *totam* Protoplastorum *sortem*; spiritum, animam & corpus, I. Thess. V. 23. non deficientes ulla re, maxime principali, quæ Spiritus est. Jac. I. 3. Qui adeoque participes facti Spiritus S. ceu Spiritus vitæ, lucis, veritatis, Sapientiæ, Sanctitatis, amoris, gaudii, quietis, quorum hinc anima vivificata, intellectus illu-

illuminatus, Sapiens factus, voluntas sanctificata, affectus puro amore & gaudio in Deo præditi, conscientia tranquilla, corpus quoque cum sensibus & membris Deo vivum est.

XIII. Ut verò tales in se integri, ita integritatem testatam faciunt in *vita* vel vivendi ratione, actionibus, tum coram Deo in cultu, timore, reverentia, amore, fiducia, precibus, usu verbi divini, Sacramentorum, tum coram hominibus in vita communi erga omnes & singulari sive functionibus propriis: Qui omnem, quam debent, obedientiam præstant internè, & ubi opus, simul externè, quorum exteriora cum interioribus concordant: Qui hinc sibi cavent à dolo, hypocrisis, corde duplici, perversitate, inquinamento, peccatis, utpote tales non sunt **יְהוָה יָדוּעַ** vel, ut LXX, hic vertunt: ἀπιστος *in idō. v. Prov. XI. 20. Jac. I. 27.*

XIV. Non tamen integritas hæc ita explicanda est, ac si postularet hominem liberum ab omni peccato, imputato, originali, peculiaribus actibus legi contrariis ex præcipitantiâ, infirmitate, metu, carnis reliquiis profectis. Hoc enim sensu nemo **יְהוָה יָדוּעַ**, si Deum excipis Deut. XXXII 4. Noachus, Abrahamus, Paulus, alique, qui in factis ab integritate commendantur Gen. VI. 9. XVII. 1. Phil. III. 15. non essent integri. Intelligendi sunt integri, vel ut Paulus loquitur, *perfecti in Christo Jesu* Coloss. I. 28. *corde integra* Psal. CXIX. 80. qui gratiam Jesu Christi ad peccata remittendum, purgandum, Spiritum S. donandum fide probant, recipiunt, sincerè constitunt, conantur voluntati divinæ convenienter vivere, vivuntque. Qui ipsi, si cæspitant, actus difformes agnoscunt, damnant, & proponunt coram & cum Deo cautius vivere. Horum cor est integrum, purum coram Deo, non caro reliqua Rom. VII. 23. Sunt *τελειοὶ* perfecti sensu exiliori, Evangelico, & tamen nondum sunt *τελειωμένοι* consummati Phil. III. 12. 15. Quamquam etiam inter *integros* plures dentur gradus, qui verò non nisi coram oculis Dei plenè patent.

XV. Character alter est: *Incessus in Legge Jehova.* Ut clarius sciamus viam, quam integri calcant, explicat eam Character sequens. Est *Lex Jehova.*

XVI. Psaltes voluntatem Dei, quæ credenda & agenda nobis præscribit, variis (communiter decem numerant) nominibus hoc in Psalmo insignit. Horum primum est **תּוֹרָה** *Lex* seu maxime commune & generale. Prædicatur de Legge externa, ut ordinatio, Prædicatur quoque de Legge interna, quam Spiritus S. cordi inscribit Jer. XXXI. 33. de Legge Mosaica Mal. IV. 4. Evangelica Es. II. 3. XLII. 4. Comprehendit Leges Doctrinales, Morales, Cere-

morales, Forenses Malach. II. 7. Deut. XXXIII. 4. Exod. XII. 49. Deut. XVII. 18. Speciatim etiam voluntatem Dei gratiosam, peccatori salutiferam Ps. XIX. 8. CXIX. 70. 77. 92. Commodè dicitur à *monstrando*, nam *monstratio* credendi, agendi ad veram felicitatem Ps. XXV. 8.

XVII. Uti vox lati usus est, sic hoc accipimus loco. Nulla quippe ratio restringendi vel in textu vel in natura rei. Rationes potius extendendi. Beatorum est incedere in omni Lege divina, quæ format intellectum, corrigit voluntatem, ordinat affectus, spem, fidem, charitatem præcipit, excitat, producit, confirmatque. Auctoritas Legislatoris divina, quæ nos obligat ad quasdam leges, obligat quoque ad reliquas. *Manendum in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis Gal. III. 10.* Non quidem est omnium Legum eadem præstantia, vis ad vitam spirituales, æternam. Excellunt Leges Didacticae, Evangelicæ, Morales. Attamen etiam Cereemoniales, forenses, ipsa historia maxime *πνευματικῆς* sumtæ, usus suos habent. Israélita sub V. Testamento negligens, contemnens Leges, veluti de circumcissione, fermento in Paschate non comedendo, reparatione damni illati nullam salutis spem habuerat v. Gen. XVII. 14. Exod. XII. 19. Ezech. XVIII. 12. 13. Eadem ratio Christiani obligati ad omnes, quas Deus præscripsit, Leges. Jac. II. 10. 11. Absit, ut Religio Christiana veniam liberè peccandi, præcepta solvendi ulli concedat. *Jesus Christus non venit ad Moysen & Prophetas solvendum, ἀλλὰ πληρῶσαι, sed ad implendum, non Scribarum more Leges imperfectè, carnaliter, externè, corruptè sed perfectè, etiam internè explicandum, injungendum ac gratiam eas observandi donandum. Matth. V. 17.* Vide sensum verborum insequentibus, conf. Joh. XV. 5. Phil. I. 11. Hebr. XIII. 20. 21.

XVIII. Hic verborum sensus quoque constat ex addita voce *Jehova*: *Lex Jehova*, quam; quo modo, quo tempore tulit, vel etiam feret. Legislator nullam seligendi facultatem concedit; hanc Legem observandi, non item aliam. Tale jus nequidem permissum quoad Leges Principis, qui homo, multo minus Auctoritate divina Gloriosus. Non legitur: *in Lege Moysi, sed Jehova*, ut comprehendas Leges postea quoque datas, non solum scriptas in tabulis lapideas, sed & cordis carneas. Deinde phrasis: *Lex Jehova* fortiter compellit ad obsequium v. Exod. XX. 2. Jac. IV. 12. Est enim *Lex Jehova*, qui summa pollet Auctoritate, utpote *Jehova* Ens Perfectissimum; quod erat, quod est & quod futurum, in quo omnes creature vivunt; moventur & sunt. Quanta *ὑπεροχὴ* Legum divinarum præ humanis? Illæ Auctorem habent *Jehovam*. At hæc homines, servos Dei, in quorum natibus halitus est, *Dei Lex Jehova*, quæ Originem in mente Dei. (quæ verò sapientia,



Sapiens, Sancta, Iusta, Aequa, Bona, Candida, Verax) habet : Quæ hinc ipsa quoque Sapiens, Sancta, Iusta, Aequa, Bona, Candida, Verax : Quæ per consequens amatores & factores Legis constituit Sapientes, Sanctos, Justos, Aequos, Bonos, Candidos, Veraces. Nam cuius Natura Lex est, ejusdem Naturæ, qui eam in cor suum recipit, recondit, intelligit, credit, amat, æstimat & juxta eam vivit, v. Pl. XIX. 8. 9. II. Tim. III. 15 Jac. I. 21. Rom. I. 16. Unde prudentes intelligunt naturalem nexum Beatitudinis & incedentium in Lege Jehovæ, ut alibi plenius.

XIX. Beatis commendatur *Lex Jehovæ*, per consequens non Lex humana, Ecclesiastica, *μαθησθε τὰς γραφάς*. Talis nihil ad æternam beatitudinem. *Frustra me colunt, docentes doctrinas, in tradita dogmatum; præcipra hominum*, ut sunt juxta nexum traditiones Ecclesiæ Matth. XV. 9. Maxime sub Novo Testamento, quo Ecclesia liberata est à jugo Servitutis humanæ, Ecclesiastica, quo solum Dominum Jesum veneratur & *caput firmiter tenet*: Vide plenius Coloss. II. 9. fin. Et quam vim Leges hominum ad beatitudinem? Ipsi Optimi unice dependent à voluntate & Gratiâ Dei Pl. CXLIII. 10. Luc. I. 46. 47. Summi, qui erant in Ecclesia Christiana, Apostoli nolabant ex se docere, præcipere, in fratres dominari; non nisi Domino Jesu Christo servire constituerant v. II. Cor. IV. 5. Rom. XV. 18. II. Cor. I. 24.

XX. Lex verò, quam Jehova fert, datur ad *incedendum in ea*: Non datur solum ad audiendum, legendum, memoriæ imprimendum, explicandum, dijudicandum, commendandum. Cuncta hæc nondum beant. Hæc & alia fieri possunt cum dispendio salutis Matth. VII. 22. 23. Luc. XII. 47. data illæ sunt *וְעָשׂוּ אֵת דְּבַר יְהוָה* ad faciendum Deut. XXVII. 26. ut *et audiant et discant et timeant Jehovam Deum et observent וְעָשׂוּ אֵת דְּבַר יְהוָה* ad faciendum omnia verba Legis hæc; Deut. XXXI. 12. Beatitudo demum est *in nō moritur* Jac. I. 25.

XXI. Phrasia Emphatica est *incedere in Lege Jehovæ*. Nam (1) notat Legem pro norma fidei, vitæ, cultus, ac spei habere. Credere, agere, colere, sperare secundum verbum. Particula *ו* notionem normæ habet v. I. Chron. XXI. 17. Esth. I. 12. Estque verbum Dei Canon noster Est. VIII. 20. Gal. VI. 16. Dein (2) Legem habere pro via ipsa. Uti viatoris est incedere, procedere in via & ita ad metam tendere, sic veri Israelitæ est agere, quod Lex docet, præcipit; Accrescere in cognitione, obsequio, cultu, fide, spe; Metam beatitudinis propius attingere & tandem obtinere. Unde in præfati sistuntur *וְהָיָה לְכָל הָעָם לְעֵלֶם לְעֵלֶם* LXX. *in magisterios proficiscentes semper.*

Quare (3) præsupponit vitam Spiritualem. Vivorum, vegetorum est incedere, procedere. Et (4) negat beatos esse, qui mortuorum instar quiescunt, vel dormiunt, aut otiantur, vel retrocedunt, vel aberrant, vel incedunt sed in Lege mundi, carnis, hominum, Auctoritate licet clarorum. Sequitur.

XXII. Tertius character Custodia testimoniorum divinorum. Qui custodiunt testimonia Jehovæ.

XXIII. Verbum Dei, quod commate superiori dicebatur *לשון* Lex, hoc vocatur *אמרה* testimonium. Varietas non solum grata esse solet sed & utilis est. Unumquodque enim nomen peculiarem habet vim, ducitque in pleniorum notitiam Verbi Divini ac detegit novas ejus qualitates, ut ex dicendis liquebit. Testimonium in genere est testificatio idoneorum testium de rebus majoris momenti certo cognitis, ut alii testantibus plenam habeant fidem. Testimonium in Rebus Religionis est, quod Deus vel immediate vel mediate de rebus Salutis indubitatis perhibet ad *πληροφορίαν* nostram. Res Religionis, quæ testimonio divino corroborantur, sunt vel supra sensus & rationem vel sensibus subjacent. Illas solus Deus novit I. Cor. II. 9. 10. quæ hinc simpliciter poscunt testimonium & revelationem diviniam Matth. XI. 29. XVI. 17. Joh. III. 11. Hæ ab hominibus audiri, videri, contractari atque ita certissime sciri & aliis testando notificari queunt, I. Joh. I. 1. 2. Hoc quoque testimonium divinum est, tum ob objectum, quod Deus revelat, tum ob testium selectum, & internam convictionem.

XXIV. In plurali efferuntur *אמרות* testimonia, ut etiam infra v. 14. 36. 127. Plurima enim prostant. Quor. articuli fidei, vitæ, cultus, spei revelati sunt, tot etiam sunt testimonia Dei. Singularis collectivè sumtus æquipollet, uti Psal. XIX. 8. Testimonium Jehovæ firmum constans plurimis specialibus testimoniis, quorum tamen omnium idem Auctor, eadem natura, idem Scopus & conjunctissimum vinculum, hinc etiam *singulariter* profertur.

XXV. Quod verò testimoniis his summam dat Auctoritatem, ab Auctore eorum provenit; Testimonia ejus, scil. Jehovæ, omnium optimi testis eeu Omnipræsens, Omniscii, Sapientissimi, Sanctissimi, Justissimi, Veracis & Sinceri. Testis hic non potest falli, nec vult, imo ob excellentiam Naturæ non potest fallere. Est *ἀψευδής* mentiri nescius Tit. I. 2. Hebr. VI. 18. Est *יָשָׁר*, *ὁ ἀψευδής*, testis *πιστός καὶ ἀλανθής* fidus & verax Jcf. LXV. 16. Apoc. III. 14. cuius hinc testimonia *ἰσχυρὰ ἰσχυρὰ* valde firma Ps. XCIII. 1. Sermo *πιστός καὶ πᾶσι ἀποδοχὸς ἀληθής*, *ἰσχυρὸς* fidus & omni receptione dignus, I. Tim. I. 15. Si

Si valet juxta Legem testimonium duorum aut trium idoneorum Testium; quanto magis testimonium Dei, testimonium trium testium Coelestium, Patris, Sermonis & Spiritus S. I, Job. V. 7. 8. 9.

XXVI. Quare Beati describuntur **קריני** *custodientes testimonia Iehovae*. Plures voci **קריני** notionem *scrutandi* adscribunt. LXX. *ἐξευρώντες*, Vulg. *scrutantur*. Licet non male, Præferrem tamen cum aliis notionem *custodiendi, observandi, servandi*. Nam dicitur de Vigilibus II, Reg. XVIII. 8. Custodibus Jer. XXXI, 6, constructur cum **מטות** *custodia* Prov. IV. 23. *Custodi præ omni custodia **מטות** *cor tuum*. Citatur ut Synonymum **קריני** *קריני* in N. Testamento, veluti Luc. XI. 28. II. Tim. I. 12. 14. Sunt autem **קריני** *φύλακτες* testimonia divina, qui ea curæ suæ à Deo commissa habent: Qui hinc hostes quosvis internos & externos probe observant, ne detrimentum iis adferant corrumpendo, adimendo, mutando ea. Qui per consequens ea illæsa servant, ut existant incorruptus canon fidei, vitæ, cultus, spei: Qui adeoque credentes, agentes, Deum colentes, sperantes ad testimonia Dei curate attendunt Es. VIII. 20. non verò ad testimonia hominum, quicumque illi sunt, utpote fallibilium, inidoneorum ad testandum ex se & cum Auctoritate de rebus salutis captum & sensus transcendentibus. Qui modo dicto sunt *custodientes sine intermissione testimonia Dei*, saltem quoad animum, propositum, beati sunt ceu veri **קריני** *Ναζουαί* Nazarai, Christiani. Cum hoc caractere conjunctus est.*

XXVII. Character quartus: *Qui toto corde quærent Iehovam*. Qui quærunt, sciunt existere id, quod quærunt. Habent illud, quod quærunt, pro bono. Credunt insuper rectè & constanter quærendo inveniri posse, imò inveniri. Beati, qui describuntur, *quærentes Iehovam*, convicti ergò sunt existere Deum ceu Ens perfectissimum, Esse illum Summum bonum atque etiam bonitatem aliis ad felicitatem & gloriam communicare. Certò inveniri à ritè quærentibus. Præclare huc facit dictum Hebr. XI. 6. *Sine fide nemo placere potest Deo. Accessurus ad Deum & ejus communionem credere debet, quod sit* **עֵס** *τοῦ ἐν Χριστῶν*, (quam ipsam vocem adhibent LXX.) *exquirentibus cum remunerator existat.*

XXVIII. *Integri viâ, incedentes in Lege Iehovæ, custodientes testimonia ejus*, ut Beati hætenus descripti sunt, utique non sunt absque Deo, Deum jam quæverunt & quadam quoque ratione invenerunt. Nihilominus sibi possunt *quærentes Iehovam*. Est enim Iehova admirabile bonum, quod semper quærendum, ab illis quoque, qui ejus participes facti, Nisi quæras, non possides,

possides, non frueris illo. Est dein immensum bonum, quod, quo magis quaeritur, eo magis invenitur possideturque. Commodè Pfalteres in futuro exprimit *קָרַבְתָּ* *quærit eum*, scil. constanter, magis & magis.

XXIX. Et quom in nexu Deus occurrat ceu *Legislator*, testis, beati pergunt eum quaerere tanquam Doctorem, qui sensum Leges proponit, explicat, applicat. Est enim Legum magnus numerus & sunt valde late v. infra v. 96. Non simul & semel capiuntur, maxime *πνευματικῶς* in sensu spiritali. Beati sunt Auditores & avidi & humiles & Fideles. Ut *avidus* non contenti Legum, dogmatum notitiâ, quam habent. Paulus semper discipulus Dei esse cupiebat v. Phil. III 7. 8. Ut *humiles* propriæ Sapientiæ non confidunt, nihil sciunt v. Prov. XXX. 2. 3. ceu infantes ab ore & explicatione Dei dependent, Matth. XI. 25. Ut *fideles* non homines, ceu Doctores, Legislatores in rebus fidei habent, admittantur, cæcè sequuntur sed Deum Ier. XXXI. 33. 34. Patrem, Matth. XVI. 17. Ioh. VI. 45. Filium Ioh. I. 18. Matth. XI. 27. Spiritum S. I. Cor. II. 27.

XXX. Et quaerunt *לֵב לֵב* *toto corde*. Non ergo absque corde, solo ore, externo habitu, oscitanter. Non etiam diviso corde, ut facultatibus percipiendi, iudicandi, ratiocinandi, eloquendi tantum, non vero simulendi, amandi voluntatem divinam, odio habendi axiomata mundi. Nec corde duplici, doloso, quod simul quaerit Deum & mundum, Leges divinas & humanas, gloriam apud Deum & homines. Beati quaerunt Iehovam *toto corde*, cunctis & unitis viribus, integrè, sincerè. Cor suum Iehovæ tradunt, sistentes intellectum ad illuminationem, voluntatem ad sanctificationem, affectus ad amandum, quod divinum, conscientiam ad tranquillitatem & gaudium in Deo, se totos ad servitium.

XXXI. Vi oppositionis necessariò cohæret quintus character: *Qui etiam non moliti sunt iniquitatem*. Recedunt à vero horum verborum sensu tum ii, qui particulam *NON* vertere negligunt, tum quoque, qui per *quæ enim* causaliter vertunt (vid. Not. Philol.) hinc membra distincta confundunt transferendo: *Non enim, qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt*, ut LXX. Vulgatus, Lutherus & alii. Peccant & contra accentuationem & contra nexum. Pfalteres enim pergit beatos describere. Et quis egregius sensus memoratæ Versionis?

XXXII. Beati, qui hactenus descripti à bono, cui student, nunc etiam describuntur à malo, quod omittunt. *Etiams non moliti sunt iniquitatem*. Die auch keine Ungerechtigkeit zu thun vorgenommen haben. Ingens discrimen est inter *peccare*, à postulato legis actu recedere & inter *peccatum malum*.

molivi. Vel, ut Johannes profus ad scopum nostrum distinguit, inter ἀμαρτίαν ἐξεν I. Joh. I. 3. & inter ἀμαρτίαν ποίειν I. Joh. III. 8. Si non alii beati, quam qui absque omni peccato, Legis divinæ transgressione existunt, beati nulli sunt. Quare Psaltes sapienter elegit phrasin פעל עולה, quæ non notat simpliciter peccare, sed studio, ex intentione, animo malo (vide, quæ in Notis Philolog. notavi) Legem divinam violare, Petrus abnegando Christum peccavit, sed non intendit peccatum. At Iudas peccatum molitus est.

XXXIII. Beati ergo non animum, studium, propositum, intentionem peccandi, Leges Dei violandi habent, contrarium habent, ut ex dictis constat. Si verò actu peccant, contra animum agunt, actionem postea damnant, tollunt, gratiam Dei in Jesu Christo expetunt. Qui verò scienter *involunt* peccant, scelus excogitant, moluntur, patrant, sunt בני עולה *filii iniquitatis*, נשׂי עולה *viri iniquitatis*, servi peccatorum, ex Diabolo & ideo veræ beatitudinis incapaces.

XXXIV. Sextus & ultimus Beatorum character est: *Qui in viis ejus incesserunt*. Vide quæ supra ad characterem secundum *incedentes in Lege Iehovæ*. Iteratio docet necessitatem & præstantiam hujus characteris. Beati nequaquam posse, qui viam beatitudinis non calcant; Certè verò beati illos, qui eam calcant.

XXXV. Quædam tamen differentia obtinet. Nam primò proponitur in præterito *incesserunt*, quod supra propositum in præsentem *incedentes*, ut clarius sciamus beatos non esse alios, quam qui olim in Lege Domini incesserunt, quique continent, pergunt in illa usque ad finem incedere. Dein loco in *Lege Iehovæ*, hic habes *in viis Iehovæ*; Lex & viam monstrat & est ipsa via, quæ à nobis calcanda. Monstrat v. gr. Deum timendum, honorandum, amandum esse. Hæc via calcanda est, sive Deus à nobis timendus, honorandus & amandus est.

XXXVI. Iam S. Literæ memorant *vias Dei* in plurali, ut h. l. v. quoque Ps. XVIII. 22. Hof. XI. V. 10. Hebr. III. 10. Iam in singulari *viam Dei*, Es. XL. 3. Prov. X. 29. Ier. V. 4. quæ unica Matth. VII. 14. Sensus generalis, collectivus, qui verò complectitur longè plurimas, speciales, differentes Legibus, statibus puerorum, juvenum, Virorum, regimine jam amæno, jam tristi &c.

XXXVI. Qui simul explicant per studiosam Numinis imitationem, ut *Mass*, notante *Geiero*, convenienter Analogiæ fidei judicant, & Sacras Literas, ceu sensu divites, honorant. Nam quanquam quædam Numinis imitabilia sunt, alia ad imitandum sistuntur, uti Sanctitas, Amor, Bonitas, C
Mile-

Misericordia, Perfectio v. I. Petr. I. 16. Eph. V. 1. Luc. VI. 36. Matth. V. 45. 48. Et tum sensus erit plenior, si per Iehovam etiam filium Dei, exemplar via nostræ perfectissimum, intelligimus. Christianus verò ambulare debet, καὶ οὕτως ἐκείνους περιπατῆσαι quemadmodum ipse (Christus) ambulavit I. Ioh. II. 6. confer. Matth. XVI. 24.

XXXVII. Sex Beatorum memorati & expositi Characteres indissolubili nexu coherent & hinc omnes Subjecto beando inesse debent. Beati requiruntur & integri vitâ & incedentes in Lege Iehovæ & custodientes testimoniam eius &c. Nondum beatus, qui incessit in via, sed non pergit incedere. Vel qui in Lege Domini quodammodo incedit, sed etiam molitur facinus &c. Constat tum ex nexu, quem ipse Psaltere θεοφιλεύς hic tenet, (Quæ vero Deus conjungit, à nobis dividenda haud sunt) Tum ex natura ipsius rei. Qui enim viâ integri, ἁγῶνιστοι, illi quoque incedunt in Lege Iehovæ. Hæc enim est □□□□ integra, etiam effectivè Ps. XIX. 8. Illi insuper custodiunt testimonia Iehovæ. Integritas & incessus postulat custodiam testimoniorum divinatorum. Illi eo ipso quærunt & pergunt quærere Iehovam ac incedere in viis eius. Illi vi oppositionis scelus non machinantur. Dein Contrarium absque absurdo dici nequit. Vel an ille viâ integer, qui à Lege aberrat, testimonia Dei non custodit, Deum non quærit aut saltem non pergit in viâ Veritatis & Pietatis, scelus cogitat, intendit. Tum ex locis Parallelis Ps. I. 1. 2. CXII. 2. CXXVIII. 1 Matth. V. 3-12. Joh. XIII. 17. Matth. VII. 21-28. Jac. I. 25. Apoc. I. 3. Tum denique ex natura beatitudinis, quæ hos characteres poscit & sine quibus consistere nequit, ut nunc plenius liquebit ex tractatione.

XXXVIII. II. Partis, quæ Beatorum Beatitudinem continet. Si □□□□ accipis Adverbialiter Beate vel o Beati! Psaltere sistitur cogitans, admirans, attollens statum piorum. Q. D. Quanta felicitas fidelium, Sanctorum! Hiæter quaterque beati sunt, ceu non solum immunes à tot malis internis, externis, quæ premunt prementque impios sed & possessores verorum bonorum, tum jam actu, tum etiam certa spe. Vel exclamat Psaltere: Si mentis præiorum felicitatem sisto, examino, specialia cogito, nullum video ejus finem. O beatæ animæ, tantorum, innumerorum, ineffabilium bonorum possessores, hæredes! Si Psalmi Auctor David, ut vulgò habetur, ille divitias, quas possidebat, amplissimas, thronum Regium, quem conscenderat quasi despiciens. O vos pii verè Beati! Beati ob bona divina, cælestia, spiritalia, æterna, infinita! Beatitudo divitum, Regum umbra est, desiderio & admiratione indigna.

XXXIX. Si verò cum aliis pro Substantivo habes *Beatitudines* scilicet sunt eorum, qui *viâ integri &c.* exprimitur, determinatur vera & varia felicitas piorum, gratiosa merces, quæ fluit ex Sancto eorum statu, præmium, quod Deus fidelibus constituit. Vox $\Upsilon\Upsilon\Upsilon\Upsilon$ hic & alibi semper pluraliter effertur, ut cognoscas piorum beatitudinem non uno aliquo constare bono sed pluribus & variis, esse cumalium felicitatum, ut nunc *kata mégoc.*

XL. *Beatitudines in statu peccati*, in quo nunc versamur, aliter se habent, ac in statu *Integritatis* erant. *Due ejus partes principales nunc sunt: Adalum, à quo pii liberantur & bonum, quod consequuntur.*

XLI. *Liberantur à peccato, tum quoad condemnationem, tum quoad dominium, tum quoad pollutionem, tum quoad quosvis tristes ejus effectus. Quoad condemnationem.* Deus peccata piorum, ea confitentium, damnantium, gratiam Dei in sanguine Jesu Christi querentium ad condemnationem non imputat, quin ea remittit, obliviscitur, delet, tegit, proficitque in profundum mare. Locus palmarius est Pl. XXXII. 1. 2. $\Upsilon\Upsilon\Upsilon\Upsilon$ *Beatitudines ejus, cujus prævaricatio auferitur; cujus peccatum tegitur.* $\Upsilon\Upsilon\Upsilon\Upsilon$ *Beatitudines hominis, cui Jehovs non imputat perveritatem & in cujus Spiritu nulla fraus est, qui peccatum ingenue confitetur, ut mox suo docet exemplo Pfalter. Conf. Rom. IV. 6--9. Quoad dominium;* Respicens ceu mutatae mentis, fidelis, qui Deum, Jesum Christum Dominum agnoscit, colit, peccato ceu injusto, duro Domino mortuus est, dominium ejus pernegat, mandata non audit, non curat quasi mortuus, Rom. VI. 11. 12. *Judicatio, colligite ex dictis, vos ipsos mortuos esse peccato, vivere verò Deo in Jesu Christo Domino nostro. Ne igitur regne peccatum in corpore vestro mortali.* Habitat quidem adhuc peccatum in carne Rom. VII. 17. 18. *in membris v. 23.* Non verò in animo, homine interiore v. 22. Habitat non ut Dominus, sed ut hostis, qui observandus, debellandus, cui data operâ resistendum est, ut copiis hostilibus dominantur querentibus resisti solet v. Gal. V. 17. *Quoad pollutionem.* Peccata ceu $\Upsilon\Upsilon\Upsilon\Upsilon$, ἀκαθάρσια, μισμάρια spiritualia polluunt corpus, animam & facultates. Beatorum verò sordes eluuntur, tolluntur, purgantur sanguine Jesu Christi, Operationibus Spiritus S., timore Dei, ablutione activâ & passivâ I. Cor. VI. 11. I. Joh. I. 7. II. Cor. VII. 1. I. Joh. III. 3. Ef. I. 16. *Quoad tristes ejus effectus,* ut sunt aculationes, angores, morfus, infirmitates, morbi, mors, paupertas, lites, persecutiones, bellum &c. Liberatio hæc non pariter se habet. Liberatio à condemnatione fit in gratiosa justificatione; A dominio peccati in regeneratione. A pollutione successivè II. Cor. VII. 1. Apoc. XXII. 11. *A tristibus effectibus* in morte, maxime in resurrectione, quando corpus

corpus gloriosum excitabitur. Mala culpæ imprudentis & castigationis, quæ Beati hac in vita adhuc agunt, sentiunt, gratiâ Dei felicem habent exitum fructumque, utpote faciunt ad notitiam sui, infirmitatis propriæ, Satanz & regni ejus, necessariæ gratiæ & auxilii divini, humilitatem, fidem & studium Sanctitatis, precum.

XLII. *Bonum verò, quod Beati consequuntur, itidem varium est; Deus, vita Spirituâlis, aterna, perfectè felix ac gloriosa. Bonum primò est Deus. 1788 Beatitudines sunt Gentis, cui Jehova Deus est. Ps. XXXIII. 12. Deus, quas habet perfectiones, virtutes, gratiam, opera refert ad protectionem, liberationem & felicitatem eorum. Bonum dein est vita Spirituâlis vel Spiritus S. vitam, lucem, veritatem, Sapientiam, prudentiam, Sanctitatem, Justitiam, Æquitatem, Candorem, Amorem, Pacem, Gaudium in mente producens, corpus quoque Spirituâliter vivificans. Bona fortunæ, honoris, quæ Beatus possidet, Beatitudinem ejus ornant, augent, quum hæc bona in manu infidelium mala sint & eos torqueant. Bonum tandem est vita aterna perfectè felix & gloriosa, utpote gaudens plena luce intellectûs, quo ipsa arcana Naturæ, Mysteria Scripturæ & Gratia perfectè simul ac jucundè cognita erunt; Dein voluntate prorsus conformi divinæ, quæ nonnisi propendet determinaturque ad fidem, alacriter, constanter volendum, quod Deus vult; Insuper affectibus Spirituâlibus, benè ordinatis, convenienter tendentibus in Objecta varia, amore & gaudio puro, intenso & ineffabili perfusis; Præterea conscientia non solum à quavis accusatione liberâ, sed in Dei favore acquiescente; Denique corpore glorificato, Spirituali, potente, agili, Stella fulgidæ instar fulgente. Quam vitam, supra quam cogitari potest, consummabit intima unio & communiõ cum Deo triuno, suavissima Societas Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, caterarum Consummatarum sanctarum animarum & speciatim dulcissimorum Amicorum, qui in terris Duces, Comites, sequaces ad aternas sedes erant. Accedit felicitas Domicii, domûs Paternæ, quam Paradisus, deliciarum hortus, nonnisi prædumbraverat & ἱερωσαστικὴ Sacerdotale Regnum, cum quo neque Pontificatus Aharonicus, neque Salomonis gloria comparari potest. Et quod felicitatem hujus vitæ singulariter commendat, aterna illa erit & absque fine. Verissimè itaque & sapientissimè Pfaltes beatitudinis hujus quoad ejus primitias jam particeps factus exclamat: O Beati! Hæc est vera Beatitudo! Aut Beatitudines sunt eorum, qui viâ integri; Incedentes illi in Lege Jehovæ; Custodientes testimonia ejus; Qui toto corde quærent eum; Qui etiam non moliti sunt iniquitatem; Qui in viâ ejus incesserunt.*

III, Pars

III. Pars Porismatica.

A. Observationes Generales.

XLIII. Hæ generatim desumuntur ex *πανόρισμα*, quem Psalter prolixiori huic Psalmo præiiserat. Ex his prima est: *Quum Summa omnium Votorum, quæ mortales vel mente concipiunt vel ore fundunt vel variæ vexationes extorquent, vera sit Beatitudo, omnium rationis usu pollentium, præprimis Christianorum, maximè tamen eorum, quos vita, quam ducunt, ratio ad veram felicitatem prædicandum ac commendandum adstringit, (adstringit autem Pastores tum actu tales tum spe & proposito, Studiosos scil. Theologia) est, frequenter & serio de ea cogitare.* Cunctis quippe connata est veræ felicitatis cupiditas. Ex ipsis Eethnicis existere, qui Beatitudinis futuræ meminerunt; Imò qui ejus consequendæ non sine gaudio mentionem fecerunt. Quanto magis hæc Christianorum, quibus Evangelium spem vitæ æternæ clarissimè offert, cura dignissima est. Nemo, qui *πρωμα ζωῆς* intra se sedentem, operantem habet, vitæ cœlestis immemor erit Rom. VIII. 16. 17. Vox *ἡδὼν πανόριον οὐραίων* Beatitudines, Sacris Scriptoribus dulcissima frequenter in ore calamoque erat, ut Eliphazo Job. V. 17. Salomoni Prov. VIII. 32. 34. Jesaïæ XXX. 18. XXXII. 20. LVI. 2. Danieli XII. 12. Paulo Rom. IV. 6. Jacobo I. 12. 25. Johanni Apoc. I. 3. maximè Beatitudinis Auctori Jesu Christo, qui unica in Concione novies aperto ore clamaverat *πανόριον* Matth. V. 3--11. Psalter verò, ut jam observatum, ultra vicies ejus meminit & quod notandum sæpius ab initio sermonis, vicibus quoque iteratis, ut Ps. I. 1. CXII. 1. CXXVIII. 1. XXXII. 1. 2. & hic, ut colligas primum & præcipuum fuisse in meditatione, quod primò, secundò, imò toties in ore habuerat. Hæc dum auditis, Auditores Dilectissimi, vocationis cœlestis ad beatam vitam participes facti, imò futuri tantæ felicitatis præcones, quænam cogitationes in mentibus vestris ascendunt? An & vos, attente conscientia vestra, veram hanc felicitatem mente volvitis, pensitatis, æstimatis, amatis, desideratis & prægustatis? An ex cordis abundantia de ea verba funditis, eam extollitis, admiramini? An in consortiis vestris vos invicem ad eam meditandum, concupiscendum, prædicandum privatim excitatis, ut tempore, quod Deo videbitur, in publicas ejus laudes & facile & bonæ conscientia erumpere valeatis. Ipsi respondete in animis vestris. Vel annon animus ab ejusmodi meditationibus vacuus? Annon desideria tantæ felicitatis vobis desunt? Annon altum in consortiis vestris de consummata felicitate

tate silentium? Vel an minimum intus coram Deo accusamini, confundimini, deprimini negligentes ejusmodi meditationes, desideria, sermones aut habentes quidem sed rariores & infra excellentiam thematicis tepidos frigidisque? Sic annon hinc constat deesse vobis convictionem & testimonia Spiritus de ineffabili felicitate & gloria Beatorum? En avaros, ambitiosos, voluptuosos cogitantes, concupiscentes, eloquentes, quærentes pretiosa, decora, delicata. Quid putatis, an ingens & verum bonum fide receptum non eas mentis corporisque actiones producat, quas exiguum vel etiam Phantasticum? Memor sis mentiam illuminatarum, quas supra memoravi, Quæ itaque conscientiam suavissimum hoc Evangelii thema integris cœtibus dignè prædicabit, quod in animum vestrum sponte & absque causa externa non ascendit, quod ipsi non estimatis, amatis, desideratis & sermone vestro indignum habetis! Annon tales de æternis gaudiis sine gaudio, animo, mala & exprobrante conscientia, verba fundent? Quare quisque nostrum suum excutiat pectus, & quos reperit defectus, agnoscat, ingenuè fateatur, contentatque usum mediatorum tantæ felicitatis ritè recordari.

XLIV. II. *En genuinam Beatorum descriptionem, eorum Characteres, qui ipsam vera Beatitudinis Naturam constituunt, essentielles, liberos à cœcopartium studio. Sapientum non solum est Beatitudinem cogitare, desiderare, commendare sed & nosse Beatorum genuinos Characteres eosque & consequi & vitâ exprimere. Beati sunt, Plalte nostro *Deo* Judice, qui & via integri & incedunt in Lege Jehovæ; Qui quoque testimonia ejus custodiunt, & Jehovam toto quærent corde; Qui etiam iniquitatem non machinantur & inceserunt in visis Dei. His adde & alios divinos ejusdem Naturæ, ut Participes vitæ tutius dignoscas Beati sunt, qui non incedunt in Consilio improborum, nec in via Peccatorum consistunt, nec etiam confidunt in sede irrisorum, sed oblectamentum capiunt è Lege Jehovæ atque in ea diu nosseque meditantur. Ps. I. 1. 2. Qui dein ad Regem Messiam confugiant Ps. II. 12. Præterea in quorum Spiritu non est dolus Ps. XXXII. 2. Porro qui D. um ponunt fiduciam Ps. XL. 5. Insuper qui prouident ad pauperes attendunt Ps. XLI. 1. Nec non, qui Deum robur agnoscent Ps. LXXXIV. 6. Tandem qui castigationes patienter ferunt Ps. XCIV. 12. Denique qui custodiunt iudicia & iustitiam faciunt omni tempore Ps. CVI. 3. Ulrimo, qui Deum timent Ps. CXII. 1. Superadde quos reliquit Characteres ipse Salvator beatos prædicans, qui per Spiritum Sanctum pauperes, hinc tristes, mansueti, esurientes & sitientes iustitiam Dei, misericordes, puri corde, pacifici, quique mala propter Christum tolerant, Matth. V. 3.-12. O quanta Beatorum spiritualis pulchritudo! Hac te orna & indubitato beatus eris*

eris, quisquis es, atro licet imprudentum calculo damnatus. His enim dicto modo comparatis vita Spiritualis, aeterna, beata actu jam inest, consummationi tantum Beatitudine & aperta Gloria perficienda. Vel an concipi potest verè infelix, qui viâ integer, qui incedit in Lege Jehovæ & reliqua. Per naturam ipsius rei prorsus impossibile est. Ea prorsus ratione, qua atrum illud adulterinum esse nequit, quod omnes genuinos & naturales ejus Characteres possidet.

XLV. III. *Quantopere ergo dissidet falsa & fallax cæcorum, sive Judæorum sive Christianorum, Beatorum descriptio & vanissima iactantia. Beati simpliciter audiunt illi, qui piis Parentibus nati, socii hujus aut illius externæ Religionis, signorum sacrorum participes facti, Legis divinæ Auditores, Cultûs externi solliciti observatores, Religionis, quam profitentur, fervidi propugnatores. An ergò beat carnalis ortus ex Abrahamo, Isaac, Jacobo? Verè in carne gloriant di materiam habuissent Judæi gloriantes: Patrem habemus Abrahamum, quos tamen Johannes rectè reprehenderat Matth. III. 9. Haud tarò evenit, ut Heroum filii sint noxæ, imo filii Diaboli. Exempla habes plurima in Chammo, Ismaële, Esavo, Absolomo v. Joh. VI. I. 44. Et quid Societas externæ Ecclesiæ, sive fingatur, sive sit, purissimæ, sanctissimæ, antiquissimæ? An hæc simpliciter beat? Ergo beatus Cain, Chamus, Canaan, Judas, innumeri carnales Judæi, membra Ecclesiæ externæ citra Controversiam veræ? Qui verò, teste Scriptura, filii Gehennæ sunt. Et an ergò Judæus verè talis est, qui ἐν Φανεραῖς, ἐν σαρκεῖ? Annon qui ἐν ἡρωπῶ, ἐν πνεύματι? Rom. II. 25. 29. Apud Deum non est προσωπεῖον. Omnis & solus, qui Deum timet & justitiam operatur, acceptus ei est Act. X. 34. 35. Nec simpliciter beant signa divina vel Sacramenta V. aut N. Testamenti. In Christo Jesu neque circumcisio quidquam valet, neque præputium, atque ita non Baptismus, non Sacra Cœna, sed nova Creatura Gal. VI. 15. Fides per charitatem efficac c. V. 6. Observatio mandatorum Deî, I. Cor. V I. 19. Confer. I. Petr. III. 21. Simon voripue baptizatus mancipium peccati erat Act. VIII. 13. 21. 23. Signa tum sunt canales gratiæ, quando simul vincula Obedientiæ. Nec denique beat Lex vel etiam Evangelium lectum, auditum. Auditores, Lectores, Interpretes, Præcones, qui non simul factores Verbi divini, præ aliis decepti, stulti & infelices sunt. Vide Jac. I. 22 -- f. Matth. VII. 21 - 28. Luc XII. 47. 48. Nec tandem beat Sollicita Cultûs externi observatio. Est enim Deus Spiritus, qui Spiritu delectatur. Joh. IV. 24. Non capitur verbis mirè hō norificis, genuflexione, prostratione, donis licet pretiosissimis Matth. XV. 8. 9. Mich. VI. 6. 7. Non ultimò simpliciter beat fervor, armatus licet, propugnandæ*

gnanda sua Religionis. Aliis Caiphas, Hannas & socii exprima Beatorum Classe. Qui armis carnalibus dissentientes cogunt, persequuntur, neque Patrem, neque Filium norunt Joh. XVI. 3. Spiritum Christi non habent. Nam *Filius hominis non venit ad animas perdendum sed ad salvandam.* Luc. IX. 55. 56. Quare Pfaltes & reliqui Scriptores *Θεοτροφοι* minimè dicunt: *O beati vos, qui filii Abrahami, Judai, membra Ecclesie Judasce, circumcisi, qui Legem habetis, qui in Templo comparetis &c. sed qui integri via: Qui incedunt in Lege Jehova &c.* Acti Spiritu Sapientie Beatos describunt à Characteribus essentialibus, realibus, indubitatis, qui beatitudinem postulant, complectuntur, promovent; Non verò ab externis, fallacibus.

XLVI. IV. Si Scriptura Judice Beati illi, qui *via integri*; Qui incedunt in Lege Jehova &c. sequitur, quod, licet *vita aeterna ingens & dignum gratiosum Dei donum sit Rom. VI. 23. non tamen conferatur in alios, quam integros, studiosos fidei & bonorum operum, Osores verò peccatorum, injustis.* Est quidem regnum Dei hereditas sed danda non nisi filiis Dei Patrem imitantibus, non degeneribus, filiis mundi, Satanæ. Judex, quem tutò audimus, dicit: *Hereditate regnum vobis à jactis mundi fundamentis paratum. Ενεβασα γαρ Εσθριვი enim ΕΣ vobis mibi cibum dedistis &c.* Matth. XXV. 34. 35. 36. Utrumque affirmat Scriptura. Si igitur Scripturæ credis, quod Beatitudo sit donum, sic hereditas, crede quoque eidem asserenti Vitam hereditatem esse non nisi integrorum viâ, incedentium in Lege Jehovæ &c.

XLVII. V. *Veram beatitudinem non demum incipere post mortem sed jam hac in vita; In morte verò coninnovari & consummari.* Pfaltes Beatos considerat jam actu tales, non futuros. His in terris dantur *integri viâ, incedentes in Lege Jehovæ &c.* Ubi integritas viæ, incessus in Lege Jehovæ &c. ibi actu est vera Beatitudo, fundamentum Salutis. Jam ante mortem gratiâ Dei peccatum remittitur, dominium ejus tollitur, Vita Spiritualis datur, datur quoque unio & communio cum Deo, fructio bonorum cælestium, divinorum. Ergo vera Beatitudo jam hujus vitæ est. Gravis itaque & periculosus error est opinantium hac in vita licite peccata excogitari, patrari, quari mundum & quæ in mundo, calcari viam carnis, injustitiæ &c. in fine verò confessione PECCA VI, peccata, sordes statim tolli, dispelli, mox adesse beatitudinem, mentem illuminatam, sanctam, lætantem in Deo & rebus divinis, intimam cum Deo & Sanctis Unionem ac communionem, Est ejusmodi Beatitudo *Phantastica*, non realis, qualem Pfaltes docet.

B. Ob-

B. Observationes Speciales.

Hæ petuntur speciatim ex vocibus, phrasibus, sententiis, quæ tribus his commatibus continentur.

XLVIII. I. ex Phrasi *Integræ viæ*. Si תמימי ררך integrorum viâ Salus æterna est, sequitur beari non posse dolosos, Hypocritas, Eclecticis, qui quædam tantum divina præbent, amplectuntur, agunt, multò minus profanos Peccatores. Memorati quippe non sunt תמימי, τέλειοι, ἀλόγητοι. Vel hi profus earent corde Deum & virtutem amante, vel duplicis cordis sunt dividuntque amorem Deum inter & mundum, quem verò Deus קניז Zelotes rejicit I. Joh. II. 15. Matth. VI. 24. Deus in domo sua cœlesti non cum aliis, quam תמימי integris familiariter agit. Pf. CI. 2.

XLIX. II. Ex voce תורה quatenus notionem monstrandi tenet, Lex divina à monstrando dicta monstrat tum metam felicitatis, tum media ad eam certò ductentia intellectui scil. Veritates & Mytheria credenda, voluntati sanctas regulas observandas, affectibus promissiones & interminationes amandas, sperandas, metuendas, Corpori Cultum, confessionem & obsequium externum cordi respondens.

L. III. Ex voce הלכים incidentes, procedentes. Si Beati incidentes, procedentes in Lege Jehovæ, tum non consistendum à lumine vel in primis viis aut otiaandum vel recedendum. Plus ultra pergendum in cognitione veritatis, studio sanctitatis, metu & amore Dei puro. In via Domini eodem in statu diu non consistitur sed qui quis hic non procedit, is certius relabitur. Adest naturalis corruptio, qua instar torrentis nos abripit, ubi non continuum nostrum studium in contrarium tendit; ut ex experientia scribit Vit in via Jehovæ terenda exercitatus ERNESTUS ANDREÆ in Medit. in Pf. CXIX. p. 4. 5.

LI. IV. Ex voce עדות testimonio Dei. Plurimum ad πνευμα Dogtorum fidei consequendum & conservandum facit nosse Scripturam constare עדות testimonio Dei, Spiritus Omniscenti, Sapientissimi, Sanctissimi, Justissimi, Optimi, Sinceri, Veracis, Infiniti, Omnipotentis, Omnipresentis, Independentis, Omnisufficienti, Gloriosi. Tali Testi tuto credimus, testanti licet Mytheria, promissiones, interminationes, fata impleta & implenda omnem nostrum captum longe transcendentia, quæque rationi nostræ videntur impossibilia, noxia, absurda, stulta. Testis quippe est omni numero consummatus, profus à seipso, qui non vult, nec potest mentiri. Si testimonium duorum aut trium proborum

D

testium

testium valet, quanto magis testis τὸ ἄληθινον. Credo Viatori Candido, mira, à me nunquam visa, quæ ipse vero in Asia, Africa, America, in Oceano vidit, audivit, contrectavit, testanti. Quanto magis Spiritui divino, scrutanti, etiam profunditates Dei. Qui tantæ Auctoritatis testi non credit, habet illum *Ἰησοῦν mendacem.* Quanta verò hæc impietas! v. I. Joh. V. 9. 10.

LII. V. Ex phrasi *כִּשְׂפָתַי כִּשְׂפָתַי* *custodit re testimonia Jehovæ.* Magni pretii *κεφάλαιον* oportet sit scriptura *ceu commissum divinum fidei Ecclesie Rom. III. 2.* Sollicitè hinc custodiendum contra callidos & rapaces Spiritus, integri exercitus *corvorum furacium instar, nobile semen surripiensium.* Matth. XII. 4. 19. Tabulæ testimoniorum fœderis olim tutissimè arcæ inclusæ in Sanctissimo coram oculis Dei custodiebantur Deut. XXXI. 26. Hæc arca est cor cujusque fidelis in cœlo absconditum coram facie Dei *ceu inhabitatum ab ipso Deo Eph. III. 17.* quo verò ad furandum, corrupendum fures, nequidem infernales, penetrare minimè audent Matth. VI. 20. quippe contremiscunt coram facie Dei Jac II. 19. Tu igitur Timothee, qui Deum times, *φύλαξον τὴν παρακλιταθήνην* *custodi depositum* I. Tim. VI. 20. & cor tuum *pre omni custodia* Prov. IV. 23.

LIII. VI. Ex phrasi: *Querent Jehovaham toto corde.* Si igitur Deum, ejus institutionem, unionem, Communionem rectè desideras, quare eam toto corde, intellectu, voluntate, affectibus, fervidè, constanter. Non igitur mirum illos Deum non reperire, à Deo non institui, nec cum eo conjungi, qui eum non querunt aut saltem non rectè, corpore, labiis tantùm, memoriâ vel solo intellectu.

LIV. VII. Ex particula *הַנֶּ*. Judæi particulam hanc, ut legitur Lev. XXVI. 44. aureum *הַנֶּ* vocant. *Nostrum plus quam aureum est.* Qui enim *in Lege Domini incedit הַנֶּ* *ET ETIAM* non molitur iniquitatem, illum Deus non soluta non fastidit, sed & tenerrimè amat ac æternùm in sui communionem beat.

LV. VIII. Ex naturali hostilitate virtutes inter & vitia. Quando Apostolus Paulus verissimè simul ac sanctissimè dixit: *τίς μετοχή δικαιοσύνης καὶ ἀνομίας;* Quod nam consortium justitiæ & iniquitatis? fieri nequit, ut Beatus simul in Lege Domini incedat ac molietur iniquitatem. Lex Domini quippe est certa Juris divini norma; At *הַנֶּ* iniquitas juri è Diametro adversa. Benè Commentator Antiquus. *Et quis non videt, si via anime ad Deum sunt amor Dei supra se & amor proximi secundum se, eos, qui operantur iniquitatem, non ambulare in Vis Domini.* Qui enim deorsum ambulat, sursum non est.

LVI. IX. Quando verò ambulare in Lege Jehovæ & machinari iniquitatem opposita sunt, oppositionis vi sequitur oppositam esse rationem ambulantium in Lege Domini, & machinantium iniquitatem. Si igitur illi felices, hi infelices sunt.


LVII. X. Ad cælum intrandum plus requiritur, quam infernum. Unica injustitia damnat I. Cor. VI. 9. 10. Jac. II. 10. 11. Non verò beat unica iustitia. Beati poscuntur & integri viâ & incedentes in Lege Jehovæ & custodientes testimonia ejus & quærentes Deum toto corde & non machinantes iniquitatem.

LVIII. XI. Differunt quidem peccatum moliri & peccatum habere; Quandam tamen habent convenientiam. Quare cave tibi à peccando, ut liber sis à machinando peccatum.

LIX. XII. Ex vocibus הָלַכְתִּים, הָלַכְתִּים, & יָרַשְׁתִּים. Verè Beati sunt, qui tempus præteritum, præsens & futurum Deo consecrant. Præteritum ad salutem non sufficit, si præsens mundo sacrum, Nec præsens, si futurum deest.

Deo Beato Gloria !







Fd 3984

ULB Halle 3
002 164 590





TA-OL

V317

MW







B.I.G.

Farbkarte #13

TATIO
GETICO-PORISMA-
EOLOGICA

48

JINIS
ORUM
TERIBUS

CTUM

I, 2, 3.
M,

TO & BEATO DEO,

ES

HOTTINGERUS,
ffor & Pastor Ord.

BERUS, S. L. C.,
Palatinus,

dw.

militonum Examini

Theologico H. S.,
MDCXXXV.

W. Griesbach